18

Dissertatio Medica Inauguralis,

DE

CHLOROSI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ Decreto:

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, ac Privilegiis, rite et legitime consequendis,

ERUDITORUM EXAMINI subjicit

JOHANNES HEYS ANGLO-BRITANNUS, A. et R.

Ad diem 30 Junii, Hora Locoque solitis.

Misera profectò videtur et iniqua FOEMINARUM *conditio, ut quæ humani generis conservatrices à natura destinatæ sint, eædem* MORBIS *maximè obnoxiæ effingerentur.*

FREIND in Præfat. ad Emmenalog.

EDINBURGI:

In Ædibus R. FLAMINII, M.DCC.XLVIII.

GEORGIO DICKINS, M. D.

Apud LIVERPOOL,

Viro ob MORUM Elegantiam

ET HUMANITATEM,

NON MINUS, QUAM

MEDICINÆ Peritiam, conſpicuo;

Qui AMICIS et ÆGRIS nunquam defuit:

Patrono ſuo digniſſimo,

Haſce Studiorum Primitias,

Qualecumque grati animi teſtimonium,

Eâ quâ par eſt reverentiâ,

D. D. C. Q.

JOHANNES HEYS.

DISSERTATIO MEDICA

DE CHLOROSI.

QUUM ſcientia omnis ſecundùm utilitatem ſuam ſolummodo æſtimanda ſit, iique nihil agant qui in literarum inutilium ſtudiis detinentur; pauca de *Chloroſi*, theſi non minus utili quàm jucunda, dicere conabor; cùm ſapienter à Profeſſoribus digniſſimis ſancitum ſit, medicinæ canditatos ſpecimen aliquod induſtriæ prius edituros, quàm honores et emolumenta, quæ ſecum fert Medicina, conſequantur.

HIC morbus ab HIPPOCRATE *Chloroſis*, à χλωρὸς, viridis; à recentioribus *Febris Alba*, *Febris Amatoria*, *Morbus Virgineus*, *Pallidi Virginum Colores*, et à nonnullis, ob analogiam, *Icterus Albus*, appellatur.

VIRGINIBUS familiaris eſt, circa annum ætatis decimum quartum vel quintum, menſtrua nondum paſſis; ut et aliis antea bene purgatis, ſi, ob aliquam cauſam, fluxus

 parcus

parcus vel ſuppreſſus fuerat: Hinc gravidæ quoque aliquod hujus morbi patiuntur, primis geſtationis menſibus. Fœminæ tenello, debili, et laxo corporis habitu præditæ, præ cæteris, huic morbo obnoxiæ ſunt.

Species Leucophlegmatiæ eſt hic affectus: ubi enim inflammatoria ſanguinis tenacitas adeſt, omnia rubent, calent; ubi lenta pituita prædominatur, pallor et frigus adſunt; in omnibus enim illis locis, ubi cutis abeſt, ſanguinis colorem per vaſa tenerrima tranſlucentem obſervare poſſumus, uti in lingua, gingivis, ore interno, oculorum angulis, palpebrarum interiori ſuperficie; cùm igitur hiſce locis omnia pallida appareant, tunc novimus viſcidum, et aquoſum in ſanguine hærens non eſſe inflammatoriæ naturæ, ſed lentæ pituitoſæ indolis.

Hujus mali cauſa frequentiſſima eſt menſium ſuppreſſio, et hujus evacuationis defectum, quæcunque producere poſſunt; humores quoque craſſi, aquoſi, viſcidi, et crudi, ex pravâ plerumque victûs ratione geniti, inertia ſolidorum, quies nimia, exercitium immodicum, vigilia intempeſtiva, ſomnus nimius, excretiones variæ ſuppreſſæ; evacuatio quælibet magna, præſertim ſanguinis rubri; varia animi pathemata, ex quibus coctiones ordinariæ plurimùm evertuntur; triſtitia, terror, iracundia, amor; denique omnia quæ actiones naturales lædere, et obſtructiones partium infimi ventris producere poſſunt, præcipuè eorum vaſorum quæ ſunt circa uterum, et liberum ſanguinis effluxum impediunt. Unde in virginibus quando menſtruæ purgationes apparere incipiunt,

unt, si ab illis obstructionibus impediantur, sanguis ille copiâ luxurians ad partes superiores refluit, et cor, hepar, lienem, aliasque partes opprimit, et vasa obstruit: unde vitiosa fit in visceribus concoctio, et hinc crudi humores in toto corpore cumulantur; qui ad habitum corporis delati, Cachexiam excitant, in reliquis vero partibus varia symptomata producunt. Virgines hoc morbo laborantes languidissimam habent circulationem; hinc omnia torpent; et cùm functionum integritas ab expedito fluidorum transitu per vasa pendeat, hinc omnes actiones vitales, animales, naturales læsæ sunt; sanguis à debita crasi recedens, aquosus, tenuis fit, vel iners, lentus, glutinosâque tenacitate immeabilis.

Mensium suppressio, quam hujus morbi causam frequentissimam statui, aliquando tanquam effectus supervenit, certe verò constat, omnia quæ in hoc morbo occurrunt symptomata, à sola mensium suppressione oriri posse. Quot enim mala ab hujus evacuationis defectu producantur, à magno illo Hippocrate fusè observatum est.

Diagnosis ex sequenti symptomatum serie manifesta evadet: primò sese offert faciei et totius corporis color pallidus, et subalbidus; interdum verò plumbeus, lividus, aut virescens: Chylus enim omnis albus est, quando sanguinem ingreditur, debetque per circulationis efficaciam in sanguinem rubrum mutari; debilia autem illa corpora, dum hanc Chyli mutationem perficere nequeunt, pallent: si vires paulo plus valeant, magis mutantur, non tamen integrè perficiuntur humores, tunc color oritur flavescens aut viridescens. Inflatio,

flatio, et quædam intumeſcentia faciei et palpebrarum apparet, præcipuè poſt ſomnum, ob ſitum forſan horizontalem; crura quoque et pedes circa malleolos intumeſcunt; gravitas et ſegnities totius corporis adeſt; dolor et laſſitudo circa lumborum et pubis regiones, ob eandam ſeroſorum humorum abundantiam, et ob arteriarum hypogaſtricarum et iliacarum, iſtis partibus inſervientium, plenitudinem. Reſpiratio ægris difficilis eſt, præſertim cùm ſe moveant, vel loca alta et acclivia aſcendant; quia contractio muſcularis, hiſce actionibus neceſſaria, ſanguinem viſcidum copioſè in pulmones, minime reſiſtentes, propellit, et vaſa ſatiat: hinc etiam cordis palpitatio, vaſa enim pulmonum ſanguini, ex corde dextro pulſo, reſiſtunt; animi deliquia à leviſſimis cauſis; pulſatio in arteriis temporum; dolor capitis gravans ac moleſtiſſimus. Notavit hoc clariſſimus SYDENHAMUS, in diſſert. de affect. Hyſter. "Nonnunquam (inquit) exteriorem capitis "partem occupat, pericranium inter craniumque dolorem "vix tolerabilem adferens, in quadam tantùm particula, quæ "tranſverſo pollice contegi poſſit, jugiter defixum: dolo"rem hunc etiam comitantur vomitiones enormes. Hæc "ſpecies Clavus Hyſtericus mihi eſt, iſtas præ cæteris fa"tigans quæ Chloroſi laborant."

PULSUS plerumque eſt celer et frequens, ut febricitare videatur ægra; *Febris Alba* ideo dicitur hic affectus. Somnus gravis eſt ac profundus. Parum ſitiunt, quæ hoc morbo corripiuntur, quia acidum in primis viis plerumque prædominatur; hinc frequentes patiuntur ructus, borborygmos et rugitus. Secretiones omnes à lege naturali declinant,

viſcida

viſcida ſaliva, bilis parcior et inertior, (plerumque viridis uti acido laborantibus fieri ſolent) ſecernitur. Excretiones omnino mutantur; urina pallida, ſpumoſa, vix olens; alvus plerumque tardior; perſpiratio vix ulla. Naturales functiones penitùs depravatæ ſunt. Appetitus vel nullus, vel inordinatus, abſurda quævis deſiderat, dum arenam, calcem, cretam, &c. clanculùm ſæpè vorant hoc affectu laborantes puellæ; ab aſſumptis gravantur, nec inde reficitur corpus. Hiſce omnibus ſignis præſentibus, omnino de hoc morbo nullus dubitare debet.

Qualis ſtatuenda Prognoſis nunc dicendum eſt. Eventus ut plurimùm hujus morbi, etſi non admodum periculoſus, et raro per ſe lethalis, ſæpe tamen pertinax et ferè ſemper curatu difficilis; ſi diu vero permanſerit, in initio negligatur, altas agere radices permittatur, atque ægra malo corporis habitu naturaliter prædita ſit, ita ut magna ſit actionum depravatio, in Hydropem, viſcerum abdominalium, uteri, ovarii ſchirros, Febrim lentam, hecticam, Pthiſin, alioſque morbos chronicos, degenerare poſſit.

Virginibus, quarum menſtrua regulariter nunquam fluxerunt, ob uteri duritiem, et vaſorum coarctationem. Curatio incerta et valde difficilis evadit: Facilius curantur iſtæ fœminæ, quibus fluxus regularis olim contigit. Omnium hoc affectu laborantium, gravidæ multo facilius curari ſolent.

Maxima ſalutis ſpes elucet, quando menſtrua ſtatas periodos repetunt, et debitâ quantitate ac qualitate effluunt.

Nunc ad medendi methodum deventum est. In chronicis morbis, à serosa colluvie pendentibus, non ingens medicamentorum farrago, sed selecta, et tempestiva illorum adplicatio valet.

Ad hujus morbi curationem indicantur viscerum intemperiei correctio, eorumque roboratio, vitiosorum humorum attenuatio, et ex corpore evacuatio, solidorum firmatio, et obstructionum reseratio.

Si ægra plethorica sit, et morbus non admodum inveteratus, venæsectio (cautâ tamen manu) celebranda; dato emetico, et purgante, pro ægræ virium ratione, ad saburram glutinosam primis viis educendam.

Si valde debilis sit, R. Tinct: sacr. drach. vi. Castor. Spir. Lavendul. $\overline{aa}$ dr. ss. M. fiat haustus h. s. sumendus, et ad aliquot vices, pro re nata, repetendus. Si plus valeat, ægra Pillulæ ex Aloe cum sal. chalyb. granis aliquot, vel similia exhibenda sunt. Diebus à purgatione vacuis, capiat Gt. 30. Elix. Proprietat. Tinct. Chalyb. $\overline{aa}$ p. æ. horâ undecimâ et 5tâ pomeridianâ in vini albi generosissimi cyatho, tunc viscera, præcipue ventriculus, stomaticis amaris roboranda sunt. Quomodo medicinâ gymnasticâ vasa et viscera nimis debilia roborari possunt, omnes norant; et quotidie videmus rusticos robustos validissima edulia commode digerere, quæ debilium viscera pessime infarcirent: ægra igitur rhedâ, equo, vel aliter exercere debet. Aer sit calidus et siccus; victus calidus, attenuans et nutriens; somnus modicus, omnes animi affec-

tus

tus violentiores fugiendi. Poſtea Emmenagoga varia, et Deobſtruentia, pro ſymptomatum ratione, et temperamentis ægrarum variis, exhibenda ſunt. Inter omnia hæc remedia Chalybeata hunc ſcopum optimè attingunt. Aquæ minerales aliquæ, quales ſunt noſtræ *Tunbrigienſes*, vel aliæ, huic morbo maximè proſunt: ac denique Congreſſu, ſi legitimè fieri poteſt, optimè curatur hic affectus. Intereâ, dum hæc aguntur, ſymptomata etiam præcavenda ſunt, aut mitiganda; ſed quoniam varia ſunt in variis ægris, eorundem cura aliunde petenda eſt.

CANDIDE Lector, indulgentiam tuam poſtulant ſtudiorum meorum primitiæ; quo facilius condonantur peccata, eo magis ad altiora animum meum ſcribendi rudem ſtimulabis.

Nam niſi peccaſſem, quid tu concedere poſſes?
Materiam veniæ ſors tibi noſtra dedit.
OVID. de Triſt.

NIHIL jam reſtat, niſi ut gratias quam maximas Profeſſoribus meis habeam. Utinam eorum votis et honori melius conſulere potuiſſem, meliori induſtriæ meæ et progreſſûs ſpecimine: Theſis hæcce, feſtinante nimis calamo perſcripta, propriæ tenuitatis argumento ſit, nunquam illis imputetur, quos omnibus fateri neceſſe eſt in re medica eſſe viros primarios.

FINIS.